

sed offensus, & in tanta infidelium multitudine non fermentatum (1) sit totum.

(g) *Chrysofomus* (hom. 48.) post præmissas parabolas, ne aliquis opinaretur, quod Christus nova induceret, induxit Evangelista Prophetam etiam hunc prædicentem doctrinæ modum; & ideo dicit: *Hæc omnia locutus est Jesus in parabolis ad turbas.* Marcus autem ait (cap. 4.) Quoniam sicut poterant audire, loquebatur eis sermonem in parabolis. Unde non mireris si de regno disputans, grani, & fermenti meminit: hominibus enim loquebatur idiotis, & indigentibus ab his induci. *Remigius.* Parabola Græce, Latine dicitur similitudo, per quam veritas demonstratur. Ostendit quippe in ipsa similitudine quasdam figuras verborum, & imagines veritatis. *Hieronymus* super *Hæc omnia in parabolis locutus est.* Non autem discipulis, sed turbis parabolas loquebatur; & usque hodie turbæ in parabolis audiunt: & ideo dicitur: *Et sine parabolis non loquebatur eis.* *Chrysofomus* (hom. 48.) Quamvis enim multa sine parabolis non turbis dixerit: sed tamen tunc nihil.

Augustinus de Quæst. Evang. (a) (cap. 14.) Vel hoc dicitur non quia nihil proprie locutus est, sed quia nullum tere sermonem explicavit, ubi non per parabolam aliquid significaverit; quamvis in eo aliqua & proprie dixerit: ita ut sæpe inveniatur totus sermo ejus parabolis explicatus, totus autem proprie dictus nullus invenitur. Explicatos autem sermones dico, quando ex aliqua occasione rerum incipit loqui, quousque terminet quicquid ad ipsam rem pertinet, & transeat ad aliud. Nonnumquam sane alius Evangelista contexit quod alius diversis temporibus dictum indicat: non enim omnino secundum rerum gestarum ordinem, sed secundum suæ quisque recordationis facultatem, narrationem quam exortus est, ordinavit. Quare autem in parabolis loqueretur, manifestat Evangelista, cum subdit: *Ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eruclabo abscondita à constitutione mundi.*

Hieronymus (super *Ut adimpleretur*) Hoc testimonium de 78. Psalmo sumptum est. Legi in nonnullis codicibus eo loco ubi nos posuimus & vulgata editio habet, *Ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem.* (2) ubi scriptum est, *Per Esaiam prophetam dicentem. Remigius.* Unde Porphyrius objecit fidelibus: Evangelista vester tantæ insipientiæ fuit ut quod reperitur in Psal-

mis, ipse deputaverit Esaiæ. *Hieronymus* (ibidem.) Quia ergo minime inveniebatur in Esaiâ, arbitror postea à prudentibus viris esse sublatum; sed mihi videtur in principio ita editum. *Quod scriptum est per Asaph Prophetam dicentem:* septuagesimus enim septimus Psalmus, de quo sumptum est hoc testimonium, Asaph Prophetæ inscribitur: & primum scriptorem non intellexisse *Asaph*, & putasse scriptoris vitium, atque emendasse nomen *Esaiæ*, cujus vocabulum manifestus erat. Sciendum est itaque, quod non solum David, sed etiam ceteri (quorum in Psalmis & Hymnis, & Canticis Dei, præscripta sunt nomina) Prophetæ sunt appellandi, Asaph videlicet, & Idithum, & Heman Esraites, & reliqui quos Scriptura commemorat: quodque in persona Domini dicitur, *Aperiam in parabolis os meum*, considerandum attentius (3) & invenientium describi egressum Israelis ex Ægypto, & omnia signa narrari quæ in Exodi continentur historia. Ex quo intelligimus universa illa quæ ibi scripta sunt, parabolice sentienda, & manifestare abscondita sacramenta: hoc enim Salvator edicturum se esse promittit dicens. *Aperiam in parabolis os meum.* *Glossa* (b) Quasi dicat: Qui prius locutus sum per Prophetas, modo in propria persona aperiam os meum in parabolis, & eruclabo de fœtore mei secreti, emittam mysteria quæ abscondita erant à constitutione mundi.

(h) *Chrysofomus* (c) (hom. 48.) Locutus fuerat Dominus turbis in parabolis, ut eos ad interrogandum induceret; & quamvis multa in parabolis dixisset, nullus tamen eum interrogavit; & ideo eos dimisit: unde sequitur: *Tunc dimisis turbis venit in domum.* Nullus autem eum scribarum sequitur: unde manifestum est quod propter nihil aliud prius sequebantur quam ut eum caperent in sermone. *Hieronymus* (super *Tunc dimisis turbis*) Dimittit autem turbas (4) Jesus, & domum revertitur, ut accedant ad eum discipuli, & secreto interrogent quæ populus nec merebatur audire, nec poterat. *Rabbanus.* Mystice autem dimissa turba tumultuantium Judæorum, ingreditur Ecclesiam Gentium, & ibi fidelibus exponit sacramenta caelestia: unde sequitur: *Et accesserunt ad eum discipuli ejus dicentes: Ediffere nobis parabolam zizaniorum agri.* *Chrysofomus* (hom. 48.) Cum aliquando volentes dicere formidaverint interrogare, nunc libere interrogant, & confi-

(1) Al. est. (2) P. *Nicolajus* legit ibi scriptum, *Per Esaiam &c.* (3) Forte & inveniemus.

(4) Al. deest Jesus.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Ex Matthæo quæst. 14. quod semper intelligendum ubi per capita tantum notatur. (b) Interlinealis verbis aliquantum immutatis, & minus plene quam hic; sed expressius, & plenius *Anselmus*. (c) *Gregorius* in hom. (4. ut supra)

si sunt, quoniam audierant, Mar. 4., Vobis datum est nosse mysterium regni Dei: ideoque singulariter interrogant, non multitudinem æmulantes, quibus non erat datum. Dimittunt autem parabolam fermenti, & synapis, ut manifestiores; interrogant autem de parabola zizaniorum, quia habet convenientiam ad præmissam parabolam de semine, & aliquid amplius ostendit. Dominus autem quæ esset parabola exponit: unde sequitur: *Qui respondens ait eis: Qui seminat bonum semen, est Filius hominis. Remigius.* Ideo autem Dominus se Filium hominis appellavit, ut hoc indicio nobis exemplum humilitatis relinqueret; sive quia futurum erat ut heretici negarent eum verum hominem esse; sive ut per humanitatis fidem possimus conficere ad divinitatis cognitionem.

Sequitur: *Ager autem est mundus.* *Glossa* (a) Cum autem ipse sit qui seminat agrum suum, manifestum est quia præsens mundus est ejus.

Sequitur: *Bonum vero semen hi sunt filii regni. Remigius.* Id est sancti, & electi viri, qui inter filios regni computantur. *Augustinus* contra Faustum (Lib. 18. cap. 7.) Zizania autem exponit Dominus non aliqua falsa veris Scripturis immissa, sicut Manichæus interpretatur, sed omnes filios maligni, id est imitatores diabolice falsitatis: unde sequitur: *Zizania autem sunt filii nequam:* per quos omnes impios, & malignos vult intelligi. *Augustinus* de Quæst. Evang. (Lib. 1. cap. 11.) Omnis autem immunditia in segete zizania dicuntur.

Sequitur: *Inimicus autem qui seminavit ea, est diabolus.* *Chrysofomus* (hom. 48.) Etenim hoc diabolice est machinationis, veritati semper inferere errorem. Sequitur: *Messis vero consummatio sæculi est.* Alio autem loco ait, de Samaritanis loquens (Joan. 4.) Levate oculos vestros, & considerate regiones, quoniam jam albæ sunt ad messem: & rursus (supra 9.) *Messis quidem multa, operarii autem pauci:* in quibus verbis messem dicit jam adesse. Qualiter ergo hic eam dicit esse futuram? Sed sciendum, quod in alia significatione messem dicit: unde & ibi dicit, quod alius est qui seminat, & alius qui metit; hic autem eundem dicit esse qui seminat, & qui metit: quoniam ibi non ad sui differentiam, sed Apostolorum, Prophetas induxit: etenim ipse Christus per Prophetas seminavit in Judæis, & Samaritanis. Idem ergo nominat semen (1) & messem secundum *S. Thom. Oper. Tom. VIII.*

(1) Al. omittitur & messem. (a) Al. hic.

EX EDIT. P. NICOL. (a) *Chrysofomus* in hom. 48. ut supra; non Glossa sicut prius, in qua nihil omnino tale reperitur. (b) Nihil tale in Hieronymo, nec in Rabano, qui Hieronymum hic transcripsit, nec in Beda, vel alibi occurrit. (c) Quod sequitur Glossæ nomine, nec apud illam quæ nunc est, nec etiam apud *Anselmum* extat, vel alium quemlibet quem viderim.

dum aliud & aliud. Cum enim de obedientia loquatur, & persuasione ad fidem, (2) tunc vocat messem, sicut in quo totum perficitur; sed cum inquit de fructu auditionis verbi Dei, tunc consummationem dicit messem, sicut hic. *Remigius.* Per messem enim designatur dies judicii, in quo separandi sunt boni à malis; quod fiet ministerio Angelorum: unde infra dicitur, quod veniet Filius hominis cum Angelis suis judicare: propter quod sequitur: *Messores autem Angeli sunt.*

Sequitur: *Sicut ergo zizania colliguntur, & igni comburantur, sic erit in consummatione sæculi. Mittet Filius hominis Angelos suos, & colligent de regno ejus omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem.* *Augustinus* 20. de Civitate Dei (cap. 9.) Numquid de regno isto ubi sunt nulla scandala? De regno ergo isto ejus quod est hic, scilicet Ecclesia, colligentur. *Augustinus* de Quæst. Evang. (Lib. 1. cap. 10. & 11.) Quod autem primo separantur zizania, hoc est quia tribulatione præcedente separabuntur impii à piis: quod per bonos Angelos intelligitur fieri, quia officia vindictæ possunt implere bono animo, quomodo lex, quomodo judex; officia vero misericordiæ mali implere non possunt. *Chrysofomus* (hom. 48. in Matth.) Vel potest intelligi de regno caelestis Ecclesiæ; & tunc ostenditur hic duplex poena, videlicet quod excidunt à gloria, in hoc quod dicit, *Et colligent de regno ejus omnia scandala,* scilicet ne scandala in regnum ejus intrent; & quod comburantur, in hoc quod subdit: *Et mittent eos in caminum ignis.* *Hieronymus* (b) (super *Qui seminat bonum semen*) Omnia autem scandala referuntur ad zizania. Hoc autem quod dicit, *Et colligent de regno ejus omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem,* inter hæreticos, & schismaticos, qui faciunt iniquitatem, voluit distinguere: ut per eos qui faciunt scandala, intelligantur hæretici; per eos vero qui faciunt iniquitatem, intelligantur schismatici. *Glossa* (c) Vel aliter. Per scandala possunt intelligi illi, qui præbent proximo occasionem offensionis, aut ruinæ; per facientes iniquitatem quoscunque peccantes. *Rabbanus* (super *Et eos qui faciunt iniquitatem*) Observa quod dicit, *Et eos qui faciunt iniquitatem,* non qui fecerunt: quia non qui conversi sunt ad penitentiam, sed solum qui permanent in peccatis, æternis cruciatibus mancipandi sunt. *Chrysofomus* (hom.

48. in Matth.) Vide autem ineffabilem Dei amorem ad homines: est enim ad beneficia promptus, & ad pœnam tardus: cum enim seminat, per seipsum seminatur; cum autem punit, per alios: mittit enim ad hoc Angelos suos.

Sequitur: *Ibi erit fletus, & stridor dentium. Remigius.* His verbis demonstratur vera corporum resurrectio; nihilominus ostenditur per hoc duplex pœna inferni, scilicet nimii caloris, & nimii frigoris. Sicut autem scandala referuntur ad zizania, ita iusti reputantur in filios regni; de quibus sequitur: *Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* In præsentem enim sæculo fulget lux sanctorum coram hominibus, post consummationem autem mundi ipsi (1) iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris sui. *Chrysostomus* (hom. 48. inter princ. & med.) Non quia ita solum sicut sol, sed quia hoc fidere aliud magis loculentum non noscimus, cognitio nobis utitur exemplis. *Remigius.* Quod autem dicit, *Tunc fulgebunt*, intelligendum est quia & nunc fulgent in exemplum aliorum; sed tunc fulgebunt sicut sol ad laudandum Deum.

Sequitur: *Qui habet aures audiendi, audiat. Rabbanus.* Id est, qui habet intellectum, intelligat: quia mystice hæc omnia intelligenda sunt.

(1) *Chrysostomus* (hom. 48. parum ante med.) Parabolæ quas supra Dominus posuerat de fermento, & synapi, ad virtutem evangelicæ predicationis referuntur, quoniam superavit orbem terrarum; nunc autem ut pretiositatem, & magnificentiam ejusdem ostenderet, proponit parabolam de thesauro, & margarita, dicens: *Simile est regnum caelorum thesauro abscondito in agro.* Prædicatio enim Evangelii occultata est in mundo; & si non vendideris omnia, non emes eam; & cum gaudio hoc oportet facere: unde sequitur: *Quem qui invenit homo abscondit.* *Hilarius* (can. 13. in Matth. inter med. & finem.) Hic quidem thesaurus gratis invenitur. Evangeliorum enim prædicatio (2) in abscondito est; sed utendi, & possidendi hujusmodi thesauri cum agro potestas non potest esse sine pretio: quia cælestes divitiæ non sine damno sæculi possidentur. *Hieronymus* (super *Simile est regnum caelorum thesauro.*) Quod autem abscondit, non de invidia facit; sed more servantis, & nolentis (3) prodere, abscondit in corde, quem pristinis prætulit facultatibus. *Gregorius* in hom. (12. in Evang. quasi in princ.) Vel aliter. Thesaurus in agro absconditus est cælestis desiderium; ager vero in quo

(1) *Al.* deest iusti. (2) *Al.* in absoluto. (3) *Al.* perdere abscondita in corde.

thesaurus absconditur, est disciplina studii cælestis: quem scilicet thesaurum cum invenit homo abscondit, scilicet ut servet: quia studium cælestis desiderii à malignis spiritibus custodire non sufficit ei qui hoc ab humanis laudibus non abscondit. In præsentem enim vitam quasi in via sumus, quæ ad patriam pergitur. Maligni autem spiritus iter nostrum quasi quidam latrunculi obsident. Deprædari ergo desiderant qui thesaurum publice portant in via. Hoc autem dico, non ut proximi nostri opera nostra non videant, sed ut per hoc quod agimus, laudes exterius non queramus. Cælorum autem regnum idcirco terrenis rebus simile dicitur, ut ex his quæ animus novit, surgat ad incognita; ut per hoc quod scit notum diligere, discat ignotum amare. Sequitur: *Et præ gaudio illius vadit, & vendit universa quæ habet, & emit agrum illum.* Agrum quodammodo venditis omnibus comparat qui voluptatibus carnis renuntians, cuncta sua terrena desideria per disciplinæ cælestis custodiam calcat. *Hieronymus* (ubi supra.) Vel thesaurus iste, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, aut Deus Verbum est, qui in carne Christi videtur absconditus; aut sanctæ Scripturæ, in quibus reposita est notitia Salvatoris. *Augustinus* de Quæst. Evang. (Lib. 1. cap. 13.) Hunc autem thesaurum dixit in agro absconditum, scilicet duo testamenta in Ecclesia; quæ cum quæ ex parte intellectus attingerit, sentit illic magna latere, & vadit, & vendit omnia sua, & emit illum; id est, contemptu temporalium comparat sibi otium, ut sit dives cognitione Dei.

(k) *Chrysostomus* (hom. 48. in Matth. ante med.) Evangelicæ prædicatio non solum lucrum multiplex præbet ut thesaurus, sed & pretiosa est ut margarita: unde post parabolam de thesauro, ponit parabolam de margarita, dicens: *Iterum simile est regnum caelorum homini negotiatori &c.* In prædicatione enim duo oportet adesse, scilicet ab hujus vitæ negotiis separari, & vigilantem esse; quod negotiatio designat. Una autem est veritas, & non parita; & propter hoc una margarita dicitur inventa. Et sicut qui margaritam habet, ipse quidem novit quod dives est, aliis vero non est cognitus, multoties eam manu detinens propter ejus parvitatem; ita est in prædicatione Evangelii: qui enim eam detinent, sciunt se divites esse; infideles autem hunc thesaurum nescientes, divitiis nostras ignorant. *Hieronymus* (super *Homini quærenti bonas margaritas.*) Bonæ autem margaritæ possunt intelligi lex, & Prophetæ. Audi

ergo, Marcion, & Manichæ, quod bonæ margaritæ sunt lex, & Prophetæ. Una ergo pretiosissima margarita est scientia Salvatoris, & sacramentum passionis, & resurrectionis illius: quod cum invenerit homo negotiator, similis Pauli Apostoli, omnia legis, Prophetarumque mysteria, & observationes pristinas, in quibus inculpate vixerat, quasi purgamenta contemnit, ut Christum (1) lucrifaciat: non quod inventio bonæ margaritæ condemnatio sit veterum margaritarum, sed quod comparatione ejus omnia alia gemma sit vilior. *Gregorius* (hom. 11. in Evang.) Vel per margaritam pretiosam intelligitur cælestis vitæ dulcedo; quam inventam omnia vendens emit: quia qui cælestis vitæ dulcedinem, in quantum possibilitas admittit, perfecte cognoverit, ea quæ in terris amaverat, libenter cuncta derelinquit: deformis conspicitur quicquid de terrenæ rei placebat specie, quia sola prætiolæ margaritæ claritas fulget in mente. *Augustinus* de Quæst. Evang. (a) (cap. 12.) Vel homo cum quærat bonas margaritas, invenit unam pretiosam: quia quærens homines bonos, cum quibus utiliter vivat, invenit unum sine peccato Jesum Christum; aut præcepta quærens, quibus servatis, cum hominibus recte converteretur, invenit dilectionem proximi (in quo uno dicit Apostolus omnia contineri) aut bonos intellectus quærens, invenit illud Verbum quo cuncti continentur: „ In principio erat Verbum: „ Joan. 1. quod est lucidum candore veritatis, & solidum firmitate æternitatis, & undique sibi simile pulchritudine veritatis; qui Deus penetrata testudine intelligendus est. Quodlibet vero illorum trium sit, vel si aliud occurrere poterit quod margaritæ unius pretiosæ nomine significetur; pretium ejus est nos ipsi, qui ad eam possidendam non sumus liberi, nisi omnibus pro nostra liberatione contemptis quæ temporaliter possidentur. Venditis enim rebus nostris, nullum aliud pretium majus accipimus quam nos ipsos (quia talibus implicati, nostri non eramus) ut rursus nos pro illa margarita demus: non quia tantum valet, sed quia plus dare non possumus.

(1) *Chrysostomus* (hom. 48.) Postquam per prædictas parabolæ evangelicæ prædicationem commendaverat, ut non confidamus in prædicatione solum, neque fidem nobis æstimemus sufficere ad salutem, aliam parabolam terribilem subdit, dicens: *Iterum simile est reg-*

num caelorum sagenæ misse in mare. *Hieronymus* (super *Simile est regnum caelorum sagenæ.*) Impleto enim Hieremæ vaticinio dicens cap. 16. „ Ecce ego mittam ad vos piscatores multos: „ postquam autem audierunt Petrus, & Andreas, Jacobus, & Joannes (supra 4.) *Sequitur mihi me: faciam vos piscatores hominum:* contulerunt sibi ex veteri, & ex novo testamento sagenam evangelicorum dogmatum, & miserunt eam in mare hujus sæculi: quæ usque hodie in mediis fluctibus tenditur, capiens de falsis & amaris gurgitibus quicquid incidit, id est bonos homines, & malos; & hoc est quod subdit: *Ex omni genere piscium congreganti.* *Gregorius* (hom. 11. in Evang.) Vel aliter. Sancta Ecclesia sagenæ comparatur, quia & piscatoribus est commissa, & per eam quisque ad æternum regnum à præsentis sæculi fluctibus trahitur, ne æternæ mortis profundo mergatur: quæ ex omni genere piscium congregat, quia ad peccatorum veniam sapientes, & fatuos, liberos, & servos, divites, & pauperes, fortes, & infirmos vocat: quæ sagenæ scilicet tunc universaliter impletur, cum in fine suo humani generis summa concluditur: unde sequitur: *Quia cum impleta esset, educentes, & Jesus litus sedentes, elegerunt bonos in casa sua, malos autem foras miserunt.* Sicut enim mare sæculum, ita sæculi finem significat litus maris; in quo scilicet sine, boni pisces in vasis eliguntur, mali projiciuntur foras: quia & electus quisque in tabernacula æterna recipitur, & interni regni luce perdita, ad exteriores tenebras reprobi protrahuntur. Nunc enim malos bonoque communiter quasi permixtos pisces fidei sagenæ continet; sed litus indicat sagenam Ecclesiæ quid trahebat. *Hieronymus* (super *Sagenæ misse.*) Dum enim sagenæ extrahetur ad litus, tunc verum discernendorum piscium indicium demonstrabitur. *Chrysostomus* (hom. 48.) Quid autem distat hæc parabola à parabola zizaniorum? Etenim illic hi quidem salvantur, hi autem pereunt, sicut & hic; sed illic quidem propter pravorum dogmatum hæresim, (3) & in anteriori parabola de semine, quia non attendebant quæ dicebantur; hic autem propter vitæ nequitiam, propter quam, quamvis & piscatione capti, id est cognitione Dei fruentes, non possunt salvari. Ne autem audiens quoniam malos foras miserunt, æstimes hanc pœnam non esse periculosam, per expositionem ejus gravitatem ostendit, dicens: *Sic erit in consum-*

(1) *Al.* lucrifaceret. (2) *Al.* & in æterni regni: forte etiam possit legi & æterni regni &c.

(3) *Al.* in anteriori autem parabola.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Ex Mattheo: quod, ut dictum est, in ceteris ubi Liber non ponitur, intelligi oportet.

matione facili: exibunt Angeli &c. Quamvis alibi dicat, quod ipse segregabit eos, sicut separavit pastor oves, hic Angelos hoc facere dicit, sicut & in parabola zizaniorum. Gregorius in hom. (11. in Evang.) Timendum est autem hoc potius quam exponendum: aperta enim voce tormenta peccantium dicta sunt, ne quis ad ignorantie suae excusationem recurreret, si quid de aeterno supplicio obscure diceretur. Rabbanus. Cum enim venerit finis mundi, tunc verum fecernendorum piscium indicium demonstrabitur, & quasi in quodam quietissimo portu boni mittentur in vasa caelestium mansionum; malos autem torrendos, & exciccandos, gehennæ flamma suscipiet.

(m) Chrysostomus (hom. 48.) Recedentibus turbis, Dominus discipulis in parabolis loquitur; ex quibus sapientiores sunt facti, ita quod intelligunt quæ dicuntur, quocirca dicit eis: Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei, Etiam. Hieronymus (super Intellexistis.) Ad Apostolos enim proprie sermo est, quos non vult audire tantum ut populum, sed etiam intelligere ut magistros futurorum. Chrysostomus (ubi supra.) Deinde quia intellexerunt, rursus eos laudat: unde sequitur: At illis: Ideo omnis scriba doctus in regno caelorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova & vetera. Augustinus 20. de Civitate Dei (cap. 4.) Non dixit, Vetera & nova; quod utique dixisset, nisi maluisset meritorium ordinem servare quam temporum. Manichæi etiam dum sola Dei promissa nova tenere se arbitrantur, remanent in vetustate carnis, & novitatem inducunt erroris. Augustinus de Quæst. Evang. (cap. 16.) Utrum autem ista conclusione exponere voluit, quem dixerit thesaurum in agro absconditum (quoniam sanctæ Scripturæ intelliguntur, quæ nomine duorum testamentorum novi, & veteris concluduntur) an ostendere voluit, eum docendum habendum in Ecclesia, qui etiam Scripturas (1) veteres parabolis explicatas intellexerit, ab istis novis accipiens regulas, quia & ista Dominus per parabolas enuntiavit; ut si ipse, in quo illa complentur, & manifestantur, per parabolas adhuc loquitur, donec passio ejus velum discindat, ut nihil sit occultum quod non reveletur; multo magis illa quæ tam longe de illo scripta sunt, parabolis aperta esse noverimus; quæ cum Judæi ad litteram accipiant, noluerunt esse docti in regno caelorum? Gregorius (hom. 11. in Evang.) Sed si per novum & vetus quod dicitur, utrumque testamentum accipimus, Abraham doctum fuisse denegamus, qui novi & veteris testamenti etiam facta novit,

(1) Al. deest veteres. (2) Al. protulerit. (3) Fortis rerum.

minime verba nuntiavit. Moysen quoque docto patrifamilias comparare non possumus: quia etiam testamentum edocuit vetus, novi tamen dicta non protulit. Sed in eo quod hic dicitur, intelligi valet quia non de his qui fuerant, sed de his qui esse in Ecclesia poterant, loquebatur; qui tunc nova & vetera profertur, cum utriusque testamenti predicamenta vocibus, & moribus loquuntur. Hilarius (can. 13. in Matth.) Discipulis enim est locutus, quos scribas propter scientiam nuncupat, eo quod intellexerint ea quæ ille nova & vetera, id est in Evangelis, & lege, (2) protulit, quæ sunt & eisdem patrifamilias, uniusque utraque thesauri: ipsos etiam sub patrifamilias nomine sibi comparat, eo quod doctrinam de Spiritu Sancti thesauro suo novorum ac veterum sunt adepti. Hieronymus (super Omnis scriba doctus.) Vel Apostoli instructi scribæ dicuntur, quasi notarii Salvatoris, qui verba illius, & præcepta signabant in tabulis cordis carnalibus (3) regnorum caelestium sacramentis, & pollebant opibus patrifamilias, ejicientes de thesauro doctrinarum suarum nova, & vetera: ut quicquid in Evangelio predicabant, legis, & Prophetarum vocibus comprobarent. Unde & Sponsa dicit in Cantico Canticorum (cap. 7.) „Nova cum veteribus, dilecte mi, servavi tibi.“ Gregorius (hom. 11. in Evang.) Vel aliter. Vetus est ut pro culpa humanum genus in æterna pœna intreat, & novum ut conversus in regnum vivat. Prius autem de regni similitudine thesaurum inventum, ad margaritam bonam protulit, postmodum inferni pœnas de malorum combustionem narravit, atque in conclusione subjungit: Ideo doctus scriba &c. ac si dicat: Ille in sancta Ecclesia doctus prædicator est qui & nova scit proferte de suavitare regni, & vetusta dicere de terrore supplicii: ut vel pœnæ terreat quos præmia non invitant.

(n) Hieronymus (super Et cum consummasset parabolas.) Post parabolas quas Dominus ad populum est locutus, & quas soli Apostoli intelligunt, transit in patriam suam, ut ibi apertius doceat: & hoc est quod dicitur: Et factum est, cum consummasset Jesus parabolas istas, transit inde; & veniens in patriam suam, docebat eos in Synagogis eorum. Augustinus de Con. Evang. (Lib. 2. cap. 42.) A superiori sermone parabolarum istarum sic transit ut non ostendat consequentis ordinis necessitatem; præsertim quia Marcus ab istis parabolis non in quod Matthæus, sed in aliud intendens, in quod & Lucas, ita contextit narrationem ut credibilius ostendatur hoc esse potius consequenter gestum quod ipsi duo

consequenter adjungunt, de navij scilicet in qua dormiebat Jesus, & de miraculo expulsoforum demoniorum; quæ Matthæus superius recollens interpoluit. Chrysostomus (hom. 49.) Patriam autem ejus hic Nazareth vocat: non enim fecit ibi virtutes multas, ut infra dicitur, sed in Capharnaum fecit multa signa; sed doctrinam eis ostendit non minore admirationem habentem quam signa. Remigius. In Synagogis autem docebat, ubi plurimi conveniebant, quia propter multorum salutem de caelis descendit ad terras. Sequitur: Ita ut mirarentur, & dicerent: Unde huic sapientia hæc, & virtutes? Sapientia refertur ad doctrinam, virtutes ad miraculorum operationem. Hieronymus (super Unde huic sapientia?) Mira stultitia Nazærorum! Mirantur (1) unde habeat sapientiam sapientia, & virtutes virtus; sed error in promptu est, quia fabri filium suspicantur: unde & dicunt: Nonne hic est fabri filius? Chrysostomus (hom. 49.) Per omnia ergo erant insensati, vilipendentes eum ab eo qui æstimabatur esse pater: quamvis multa horum exempla habentes in antiquis temporibus, & patrum ignobilium nobiles videntes filios: etenim David cuiusdam agricolæ Jesse fuit filius, & Amos cuiusdam pastoris, & ipse pastor. Oportebat enim propter hoc maxime eum honorare, quoniam a talibus existens talia loquebatur. Ex hoc enim erat manifestum quoniam non ex humana diligentia erat, sed ex divina gratia. Augustinus in serm. de Nativ. (a) (in serm. de Dom. infra oct. eph.) Est autem pater Christi faber Deus, qui totius mundi opera fabricatus est, arcam Noe disposuit, Moyse tabernaculum ordinavit, arcam testamenti instituit. Fabrum dixerim, qui mentem rigidam explanat, ac cogitationes superbas excipit. Hilarius (can. 14.) Fabri etiam hic erat filius, (2) ferrum ignea violentis ratione, sæculi virtutem judicio de-coquentis, massamque formantis in omne opus utilitatis humanæ, formam scilicet corporum nostrorum in diversa membrorum ministeria, & ad omnia æternæ vitæ opera fingentis. Hieronymus (super Nonne hic est filius fabri?) Cum autem errant in patre, non est mirandum si errant in fratribus: unde subditur: Nonne ejus mater dicitur Maria, & fratres ejus Jacobus, & Joseph, & Simon, & Judas? Et fratres ejus nonne apud nos omnes sunt? Hieronymus contra Helvidium (aliqui. a med.) Fratres Domini hic appellantur filii materteræ ejus Mariæ; & hæc est mater

Jacobi, & Joseph, id est Maria Cleophae uxoris Alphaï; & hæc dicta est Maria mater Jacobi minoris. Augustinus de Quæst. Evang. (cap. 17.) Non ergo mirum est dictos esse fratres Domini ex materno genere quoscumque cognatos, cum etiam ex cognatione Joseph dicit potuerint fratres ejus ab illis qui eum patrem Domini esse arbitrabantur. Hilarius (can. 14. in Matth.) In-honoratur ergo Dominus à suis; & quamquam docendi prudentia, & operandi virtus admirationem commoveret, non tamen credunt hæc in nomine Domini agere, & paternæ artis quodam opprobrio lacescunt. Inter tot ergo magnifica quæ gerebat, corporis ejus contemplatione commovebantur; & ideo dicunt: Unde huic omnia ista?

Sequitur: Et sic scandalizabantur in eo. Hieronymus (ubi supra.) Error Judæorum, falsus nostra est, & hæreticorum condemnatio: intantum enim cerebatur hominem Jesum Christum ut putarent filium fabri. Chrysostomus (hom. 49. in Matth.) Intuere enim Christi manufacturam: conviciatus est; sed cum multa mansuetudine respondit: unde sequitur: Jesus autem dixit eis: Non est Propheta sine honore nisi in patria sua, & in domo sua. Remigius. Prophetam seipsum appellat; quod & Moyses manifestat cum dicit Deut. 18. „Prophetam suscitabit Deus de fratribus vestris vobis.“ Et hoc sciendum, quia non solum Hieronymus, qui est caput omnium Prophetarum, sed etiam Hieremias, Daniel, & ceteri minores Prophetæ majoris honoris, & dignitatis fuerunt apud externos quam apud suos. Hieronymus (super Non est Propheta sine honore.) Propemodum enim naturale est civis semper civibus invidere: non enim considerant præsentia viri opera, sed fragilis recordantur infantia; quasi non & ipsi per eisdem ætatum gradus ad maturam ætatem venerint. Hilarius (can. 14. in Matth.) Inhonorabile etiam Prophetam in patria sua esse respondit, quia in Judæa esset usque ad crucis sententiam condemnandus, & quia penes solos fideles Dei virtus est: & propter eorum incredulitatem operibus divinæ virtutis abstinnit: unde sequitur: Et non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem eorum. Hieronymus (circ. fin. Comment. in cap. 13. Matth.) Non quod etiam incredulis (3) illis facere non potuit virtutes multas; sed quod ne multas faciens virtutes, civis incredulos condemnaret. Chrysostomus

N 3

(hom.

(1) Al. unde habeat sapientiam, & virtutes; sed error &c. (2) P. Nicolai legit ferrum igno violentis. (3) Al. deest illis.

Ex edit. P. NICOL. (2) Nihil tale in Augustino inter sermones de Nativitate qui nunc extant; sed simile aliquid, etiam aliis verbis, & alio tenore quam hic, serm. 1. infra oct. epiph. qui de baptismo inscribitur.

(hom. 49. in Matth.) Si autem admiratio ei adveniebat ex miraculis, quare non multa fecit? Quia non ad ostentationem suam inspiciat, sed ad ea quæ aliis (1) erant utilia. Hoc igitur non proveniente, desepit quod erat sui ipsius, ut non pœnam eis augeat. Cur igitur vix pauca fecit signa? Ut non dicant: Si utique facta essent signa, nos credidissimus. Hierony-

(1) Al. emittitur erant.

CAPUT XIV.

(a) In illo tempore audivit Herodes Tetrarcha famam Jesu, & ait pueris suis: Hic est Joannes Baptista: ipse surrexit à mortuis, & ideo virtutes operantur in eo. Herodes enim tenuit Joannem, & alligavit eum, & posuit in carcerem propter Herodiadem uxorem fratris sui. Dicebat enim illi Joannes: Non licet tibi habere eam. Et volens illum occidere, timuit populum, quia sicut Prophetam eum habebat.

(b) Die autem natalis Herodis, saltavit filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi: unde cum juramento pollicitus est ei dare quodcumque postulasset ab eo. At illa præmonita à matre sua, Da mihi, inquit, hic in disco caput Joannis Baptiste. Et contristatus est Rex: propter juramentum autem, & eos qui pariter recumbebant, jussit dari. Miltique, & decollavit Joannem in carcere. Et allatum est caput ejus in disco, & datum est puellæ, & illa attulit matri suæ. Et accedentes discipuli ejus, tulerunt corpus ejus, & sepelierunt illud, & venientes nuntiaverunt Jesu.

(c) Quod cum audisset Jesus, secessit inde in naviculam in locum desertum seorsum. Et cum audissent turbæ, secutæ sunt eum pedes de civitatibus. Et exiens vidit turbam multam, & misertus est eis; & curavit languidos eorum.

(d) Vespere autem facto, accesserunt ad eum discipuli ejus dicentes: Desertus est locus, & hora jam præterit: dimitte turbas ut euntes in castella, emant sibi escas. Jesus autem dixit eis: Non habent necesse ire: date illis vos manducare. Responderunt ei: Non habemus hic nisi quinque panes, & duos pisces. Qui ait eis: Afferte mihi illos huc. Et cum jussisset turbam discumbere super fenum, & acceptis quinque panibus, & duobus piscibus, aspiciens in caelum, benedixit, & fregit, & dedit discipulis panes, discipuli autem turbis; & manducaverunt omnes, & saturati sunt. Et tulerunt reliquias duodecim cophinos fragmentorum plenos. Manducantium autem fuit numerus quinque millia virorum, exceptis mulieribus, & parvulis.

(e) Et statim compulsi discipulos ascendere in naviculam: & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas. Et dimissa turba, ascendit in montem solus orare. Vespere autem facto, solus erat ibi. Navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus: erat enim contrarius ventus. Quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans supra mare. Et videntes eum supra mare ambulantem, turbati sunt, dicentes, quia phantasma est; & præ timore clamaverunt. Statimque Jesus locutus est eis, dicens: Habete fiduciam; ego sum: nolite timere. Respondens autem Petrus dixit: Domine, si tu es, jube me ad te venire super aquas. At ipse ait, Veni. Et descendens Petrus de navicula ambulabat super aquam, ut veniret ad Jesum. Videns vero ventum validum, timuit: & cum coepisset mergi, clamavit dicens: Domine salvum me fac. Et continuo Jesus extendens manum, apprehendit eum, & ait illi: Modicæ fidei, quare dubitasti? Et cum ascendisset in naviculam, cessavit ventus. Qui autem in navicula erant, venerunt, & adoraverunt eum, dicentes: Vere Filius Dei es.

(f) Et cum transfretassent, venerunt in terram Genesareth. Et cum cognovissent eum viri loci illius, miserunt in universam regionem illam, & obtulerunt ei omnes male habentes, & rogabant eum ut vel sumbriam vestimenti ejus tangereut. Et quicumque tetigerunt, salvi facti sunt.

(a) **G**lossa (a) Quia supra Evangelista ostenderit quomodo pharisei Christi miracula calumniabantur, concives autem ejus hic admirantes, Christum tamen contemnebant; refert nunc quam opinionem ex auditis miraculis Herodes de Christo conceperat: unde dicitur: In illo tempore audivit Herodes Tetrarcha famam Jesu. Chryso-
stomus (hom. 49.) Non absque causa hic tempus Evangelista designat, sed ut discas tyranni superbiam, & negligentiam: neque enim à principio didicit ea quæ erant (1) de Christo, sed post plurimum tempus: sic etiam multi qui in potestatibus sunt multa elatione circumdati, hujusmodi tarde addiscunt, quia non multam horum faciunt curam. Augustinus de Con. Evang. (lib. 2. cap. 43.) Dixit autem Matthæus, In illo tempore, non in illo die, vel ipsa hora: nam & Marcus quidem hoc eodem modo dicit, sed non eodem ordine; sed postquam discipulos ad prædicandum misit, nulla tamen facta necessitate, qua hoc (2) consequenter gestum esse intelligeretur. Lucas etiam narranti eum ordinem tenet quem & Marcus; nec ipse tamen rerum gestarum ordinem fuisse eundem credi cogit. Chryso-
stomus (hom. 49. super Matth.) Vide ergo quam magnum quid est virtus: nam & defunctum Joannem Herodes formidavit, & de resurrectione philosophatur: & ideo sequitur: Et ait pueris suis: Hic est Joannes Baptista: ipse surrexit à mortuis; & ideo virtutes operantur in eo. Rabbanus. Sed quanta est invidia Judæorum, ex isto loco docemur. Joannis enim à mortuis potuisse resurgere, nullo atresante Herodes alienigena (3) pronuntiavit; Judæi vero Christum quem Propheta prædixerant, non resurrexisse, sed furtim ablatum esse credere maluerunt. In quo insinuatur, quod promptior est animus Gentium ad credulitatem quam Judæorum. Hieronymus (in fin. Com. in 14. cap. Matth.) Quidam autem Ecclesiasticorum Interpretum querit quare Herodes ista sit suspicatus, ut putet Joannem à mortuis resurrexisse, quasi alieni erroris nobis reddenda sit ratio, aut ex his verbis habeat occasionem hæresis metempsychosæ, quæ post multos annorum circulos in diversa corpora dicit animas insinuari; cum eo tempore quo Joannes decollatus est. Dominus triginta annorum esset. (4) Rabbanus. Bene autem de resurrectionis virtute omnes senserunt, quod

majoris potentie sunt sancti futuri, cum à mortuis resurrexerint, quam fuere dum adhuc carnis infirmitate gravarentur: propterea dicit: Et ideo virtutes operantur in eo. Augustinus de Con. Evang. (Lib. 2. cap. 43.) Lucas autem dicit, cap. 14., Et ait Herodes: Joannes, nem ego decollavi. Quis est iste de quo audio talia? Quia ergo hæsitantem Lucas commemoravit. Herodem, intelligendum est, aut post hanc hæsitationem confirmasse in animo suo quod ab aliis dicebatur, ut aut confirmatum eum ex aliorum verbis accipiamus, aut adhuc eum hæsitantem, ut Lucas commemorat. Remigius. Forte autem quæret aliquis quare dicat Matthæus: In illo tempore audivit Herodes; cum longe superius dicat, quod mortuo Herode, reversus est Dominus ex Ægypto. Sed hæc quæstio solvitur, si intelligatur duos fuisse Herodes: mortuo namque priore Herode, successit ei Archelaus filius ejus, qui post decem annos relegatus est exilio apud Viennam urbem Gallie. Deinde Cæsar Augustus jussit dividi illud regnum in Tetrarchias, & tres partes dedit filiis Herodis. Iste ergo Herodes qui Joannem decollavit, est filius majoris Herodis, sub quo Dominus natus est; & ut hoc ostenderet Evangelista, addidit, Tetrarcha. Glossa (ord. super Herodes enim tenuit.) Quia vero dixerat de opinione resurrectionis Joannis, cum nihil de morte dixisset; ideo revertitur, & narrat qualiter obierit. Chryso-
stomus (hom. 49. in Matth.) Et hanc historiam nobis Evangelista non principaliter inducit, quia totum studium fuit ei dicere de Christo, & nihil aliud, nisi ad hoc conferre deberet. Dicit ergo: Herodes tenuit Joannem, & alligavit eum. Augustinus de Con. Evang. (Lib. 2. cap. 44.) Lucas quidem non eodem ordine recordatur, sed circa baptismum quo Dominus baptizatus est: unde hoc præoccupasse intelligitur, ut narret quod multo post factum est. Cum enim commemorasset Joannes verba de Domino, quod ventilabrum in manu ejus sit, continuo hoc subjecit, quod non continuo factum esse Joannes Evangelista exponit, cum commemorat; postea quam baptizatus est Jesus, iisse eum in Galilæam, & post rediisse in Judæam,

(1) Al. à Christo. (2) Al. convenienter. (3) Al. nuntiavit. (4) In editionibus Romana an. 1570. & Veneta an. 1593. fit superflua hujusmodi repetitio: metempsychosæ autem post multos annorum circulos in diversa corpora dicat animas insinuari.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Nec in Glossa quæ nunc est, nec in Anselmo extat, ut nec apud alium Interpretem occurrit.